



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Titulus XXI. De Pignoribus, Et Aliis Cautonibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

quodammodo possessionem civilem retinet, atque fundus dotalis marito datur duntaxat, ut commoditatem inde, & fructum ad familiam, ipsamque uxorem alendam percipiat, donec matrimonium solutum sit: quam ob rem non potest fundus feudalis ultimatus dari in dotem, ita ut venditio esse censetur, neque potest pactum apponi de lucranda dote, nam tale pactum, cum sit contra naturam rei feudalis, irritum censetur teste *Rosenthal cit. q. 2. n. 8. Questio 5. secunda.* Quot infeudationes præcessisse opus sit, ut res denuo sine solemnitatibus à Prælo infeudari possit. De hac re sunt variz sententiæ apud eundem *Rosenthal c. 4. concl. 29.* Probabile autem, & tutum est, ut dicamus, satis esse, quòd res semel fuerit in feudum concessa, & ad Ecclesiam reverfa, ac nondum incorporata.

*argum. hujus c.* in quo aliud non requiritur; & ita docet *Abb. in c. ut super n. 11. de rebus Ecclesie non alienandis.* si subsit eadem causa in feudum vel emphyteusim dandi, satis esse, si semel concessio facta fuerat.

Notandum quartum. Si feudum, quod ob delictum Vasalli ad Ecclesiam reversum est, à Vasallo, vel altero, cui ipse alienavit, recuperari non possit, vendi, vel in feudum dari potest alicui potentiori, per quem recuperetur. Ita sumitur *ex hoc. c.* idque favore Ecclesie specialiter constitutum fuisse admonet *hic Imolan. 30.* Sed aliam quamcunque rem non est concessum Prælo in feudum concedere alicui potentiori eam ob causam, quòd à possessore vel detentore recuperari non possit, nisi juris adhibitis solemnitatibus, prout ex communi tradit *Abbas hic n. 5. Rosenthal cit. c. 4. concl. 16.*

## TITULUS XXI.

### DE PIGNORIBUS, ET ALIIS CAUTIONIBUS.

#### CAPITVLVM I.

#### Nullus.

##### PARAPHRASIS.

Sacri calices, patenz, vestimenta sacerdotalia, & liber Ecclesiasticus, tabernaculo, vel negotiatori, aut cuicumque Laico, vel faminz, obligari, vel in vadium sive debiti securitatem dari non debent, nisi justissimâ urgente necessitate.

##### SUMMARIUM.

1. Possunt quidem bona Ecclesia per gentem hypothecam obligari, non tamè veniunt sub hac obligatione vasa sacra, aut sacra suppellex.
2. Possunt tamen hæc talia pignoris loco Laico etiam obligari ex iisdem causis.

Mm 3

& so


**Q**uandoquidem alienationibus, & contractibus, de quibus hætenus dictum, Pignora, aliæque cautiones, de satisdando videl. fidei iuraciones, & iuramenta adijci solent, in securitatem conventionis, ac debiti, idè de his tanquam accessorijs hoc in loco agitur. Verùm tamen nomine cautionis, si simpliciter probatum reperiat ( & non adijciatur vox idonea ) nec pignus, nec fidei iussio, sed simplex, ac nuda promissio intelligi solet, uti habetur in *L. 3. Cod. de verborum significatione.*



& solemnitatibus intervenientibus,  
quibus vendi possunt.

**1** Notandum primum. Tametsi Prelatus bona Ecclesie pro securitate debiti per generalem hypothecam obligare possit, sicuti docui in *c. nulli 3. de rebus Ecclesie non alienandis*, ea tamen obligatione non comprehenduntur vasa, & suppellex sacra, sive ea, quæ ad divinum cultum, & templi ornatum spectant, *argum. L. 1. Cod. quæ res pignori obligari*. ubi habetur, quod in generali Pignoris obligatione non veniant res, quæ specialiter obligari non solent, talia autem sunt vasa sacra &c. quippe, quæ non nisi ob gravem & urgentem necessitatem obligare licet.

**2** Notandum secundum. Ex quibus causis sacra vasa, & suppellex vendi possunt, sicuti docui in *c. nulli 3. de rebus Ecclesie non alienandis*, & *lib. 3. tra. 4. a. 10. n. 3. & c. 17. n. 31.* ex iisdem etiam causis pignoris loco obligari Laico *argum. hujus cap. & docet Syl. v. pignus q. 3.* discriminè autem est, quod si venditio Laico fiat, ea conflari vel profanari prius debent *L. sancimus 21. Cod. de SS. Ecclesie*. At verò in pignori etiã cum sacra, seu benedicta manent, dari possunt: quamquam hæc non sit propriè dicta Pignoris constitutio, nam in pignore obligatio realis, seu in re ipsa acquiritur; res autem Sacra ita obligari, seu acquiri Laico non potest, ut jus habeat in re sacra *L. 3. Cod. quæ res pignori &c. & L. 1. §. eam rem, juncta Gl. v. non potest ff. eodem*: & notavit *Gl. in authent. Hoc jus porrectum apud Gratianum causa 10. q. 2. v. conflata non esse*. hanc Pignoris obligationem non esse, sed solùm detentionem, donec pecunia debita reddatur; qua simili ratione liber homo quandoque obligari potest, id est, ut obfes tradi, ac teneri, prout notat *Gl. in suppliciter 18. v. obsidesque causa 23. q. ult. Gl. in c. ex rescripto 9. v. obsides, & docui ibi post not. 1. de jurejurando*.



Lator.

PARAPHRASIS.

Liber homo propter debitum decerni non potest, tametsi non habeat, unde solvere. Sumptum est *ex L. obfes. 12. Cod. de offi. n. lib. L. qui filias 6. Cod. quæ res pignori &c. authent. ut nulli iudicium* quia verò, collatione 9.

SUMMARIUM.

1. Pro debito non potest liber homo pignoris loco retineri.
2. Limitatur tamen hæc doctrina.

**N**otandum. Pro debito non potest liber homo, v. g. filius debitoris, pignoris loco retineri, aut in servitutum accepto loco etiam habetur in *c. authent. quæ res*. Ubi pœna adjicitur, ut, qui ita deliquit retinendo, non solum debito cadat, sed tantam aliam pecuniam adjiciat ei, qui contentus est ab ipso, aut parentibus eius, & postea corporalibus pœnis subdat. Quæ ob rem in Imperio frequens est, ut procerales oppignorationes mandata de releando etiam quandoque sine clausula mittuntur. Ratio notandi reddi debet, quia res, quæ non est in commercio nostro, ita ut vendi non possit, ea neque pignori obligari potest *L. 1. §. eam rem supra cit.* Atqui liber homo hoc ipso, quod liber est, in commercio, ac dominio nostro non est. Ergo &c.

Limitari, & declarari debet hæc doctrina. Primò. Quod liber homo in securitatem pacis constitutus, & in quibusdam casibus etiam pro civili debito obfes dari potest, ita ut permanere debeat, sicuti expresse in *c. 6. ex rescripto*, atque ita consuetudine observari, testis est *Imola hic n. 12.*

Secundò. Quod pater ob nimitatem ego statem filium oppignorare possit, *argum. L. 2. Cod. de patribus, qui filios distraxerunt*, & notat *Gl. hic v. lex*.

Tertiò. Debitor condemnatus, si post executionem bonorum solvendo non ido-

neus repetitur, nisi bonis cedere velit, capi, & incarcerari potest *argum. L. 1. Cod. qui bonis cedere possunt. ubi Gl. marginalis dicit, & Gl. finalis hic, Imolan. 13. § 16.*

Quartò. Si debitor fugiat, propter periculum amittendi debiti, capi, & reduci potest à creditore, etiam privatà auctoritate, si iudicis copia statim haberi non possit *L. au prator 10. §. si debitorum, ubi id docent DD. ff. qua in fraudem creditorum Gl. in L. exstat. v. sine ullo iudice. ff. quod metus causa Petrus Duennas in regulis juris v. debitor fugitivus regula 175.* Idque ampliari debet, tamen debitor nondum in mora sit, neque dies solutionis advenerit; ostensâ tamen suspitione fugæ coram iudice, ejusdem auctoritate capi debet, prout *Imola hî docet, Duennas cit. lo. n. 3.* ubi pluribus relatis ait, propter periculum in mora suscipere hoc casu ad probandum, si creditor juraverit; quod tamen universim verum non est, sed iudicis arbitrio relinquendû, num ad probandam suspitionem fugæ, cum irreparabili damno creditoris, sufficiat juramentum, ita, ut ad capturam debitoris non sine infamia ejus procedi possit, sicuti *ex Baldo notavit Menochius in arbitrarijs qq. casu 78. n. 6.*

Quintò. Debitor fisci, si solvere recuset, cogi potest *L. sacrilegi 9. §. cum quoque. L. cum eo ff. ad legem Juliam peculatus.* ubi id tradit ex communi *Barolus n. 2.* Sed incarcerari non debet, nisi in contumacia persistat *L. 2. Cod. de exactionibus tributorum lib. 10.*

Sextò. Si debitor in iudicio fuit, & de sistendo se promisit, & non se stitit, sed contumax est, potest à iudice realiter apprehendi, & invitus duci *L. consentaneum 8. quomodo, & quando iudex &c.* Usitatus tamen, & commodius est, ut in bonorum possessionem missio fiat, *authent. de exhibendis reis. §. si verò semel, versiculo si verò citatus.* Cæterum, dum debitor in sua domo existit, inde extrahi ad iudicium non potest, cum domus tutissimum cuique refugium, & receptaculum sit, sed verbaliter citari

debet; sin lateat, & contumax sit, in bonorum possessionem missio fieri. *L. plerique 18 ff. de in jus vocando.* & tradit *Barolus lo. cit.* Si tamen iudicis auctoritatem contemnere videatur, mulctari potest, & idcirco realiter capi, & extrahi, *juxta L. 1. ff. si quis jus dicenti non obtemperavit,* & notavit *Imola hic n. 17.*

Porro deprehensum in crimine, pro quo imponenda venit pœna capitalis, quisque rapere potest, ut ad iudicem ducat *L. 1. Cod. de rapto virginum. L. si quis 7. ff. de furtis.* ubi *Gl. marginalis* ait, quòd in causâ criminali quispiam è domo sua extrahi possit invitus, & *Gl. in L. nemo de domo sua extrahi debet 103. ff. de regulis juris.*

### CAPITULUM III. Ex præsentium.

#### PARAPHRASIS.

Sacerdos Ecclesiæ de Offitona calicem argenteum, & medietatem breviiarij ejusdem Ecclesiæ pro rebus sibi necessarijs comparandis, pignori obligavit, atque morte præventus, ea non recuperavit. Hoc intellecto rescriptit Alexander III. ad Episcopum Exoniensem, quandoquidem indignum est, ut dictæ Ecclesiæ res suæ, præsertim sacro ministerio deputatæ, taliter deperire debeant, ideò mandare se ipsi, si rem ita habere compererit, ut filium Sacerdotis, qui in patrimonialibus bonis successisse refertur, moneat, & compellat, ut res illas obligatas redimat, & Ecclesiæ restituat.

#### SUMMARIUM.

1. Propria necessitate, aut utilitate res Ecclesia oppignorare non potest Rector, Ecclesia.
2. Ita ut non tantum ille, sed etiam heres illius ad restituendum Ecclesia damnum, si quod per dolosam oppignorationem datum sit, obligetur.

Notandum primum. Rector, aut Prælati non potest res Ecclesiæ oppignorare pro propria necessitate, vel utilitate,

nam

nam Pignoris obligatio non consistit, nisi de his, quæ quis de bonis suis obnoxia facit, prout dicitur in *L. qui filios 6. qua res pignori obligari &c.* res autem Ecclesiæ non sunt propriæ rectoris, seu Prælati, cum earum administrator sit, non dominus *c. 2. de donationibus*. Igitur non consistit earum obligatio, si fiat in propriam utilitatem. Ita *Gl. hic v. necessitate*.

Dices. Si obligatio Pignoris irrita fuit, potuit Ecclesia pignus revocare à creditore, & idèd necesse non erat haredem presbyteri, seu Rectoris adigere ad recuperandum. Respondetur cum *Gl. ibidem in 3. responsione, & Gl. in c. placuit 15. v. pertineant, causa 16. q. 3.* in electione Ecclesiæ esse, num velit directâ viâ agere adversus illum, qui pignus, aut rem malè à rectore distractam detinet, an contra ipsum restorem, aut Ecclesiam indemnem servet, prout colligitur ex *L. ult. Cod. si Rector vel curator intervenit &c.* Ubi habetur, si tutor, vel curator rem minoris natu malè distraxerit, posse minorem petere, ut restituatur, vel contra tutorem, ut damnum refarciat; Ecclesia autem minori æquiparatur *c. 3. de in interm restitutione*.

2 Notandum secundum. Non tantum Prælati, seu Rector Ecclesiæ obligatur ad refarciendum damnum, quod per dolosam, vel negligentem administrationem intulit, sed etiam hæres ejus, eò quod obligatio personalis ad haredem transeat, prout *hic Abb. notavit, & docuit Gl. in c. 2. causa 12. q. 4. argum. L. quid quid 7. C. arbitrarium tutela*. Ubi hoc idem dicitur de tutore, si dolo vel culpâ latâ, aut levi minori acquirere intulerit, ad refarciendum obligari. Verum & vice versa, si Prælati aliquid ex proprijs pro necessitatibus Ecclesiæ expendit, aut damnum passus est, id ipsi restitui debet *at. c. 2. & tradit Abb. p. 2. consilium Consilio 10.* Quia officium suum nemini damnosum esse debet. Ad extremum addo, si rector, seu parochus non multos redditus habens, atque patrimonialibus bonis destitutus, debita quædam, infirmis

causâ, contraxerit, & mortuus sit, æquum esse, ut Ecclesia, cui servit, ea dissolvat, vel id onus successori imponatur. Quod re vidori potest *Abb. hic n. 5.*

## CAPITULUM IV.

Illo.

## PARAPHRASIS.

H. & B. fratres viginti tres libras argenti ceperunt mutuò à G. muliere filia Theobaldi, cui fratres illi dederant quædam vineas, postea repetere volebant, quam pignori pro pecunijs illis obligatas. Hanc causam Innocentius III. quædam delegaverat, cum mandavit, ut mulierem, & filios ejus ad vineas cum fructibus ultra sortem, seu pecunias mutuas perceptis, per penam Curie Lateranensis adversus usurarios restitutos compellat. Verum ex parte G. hoc redum propositum fuit, vineas non se pignori obligatas, sed purè venditas, sicuti in instrumento apparet; tunc verò dixit H. vineas à se & fratre suo non purè venditas, sed pignori fuisse obligatas, idque ex eo liquere, quod conditioni conditio adjecta fuerit, ut si tempore contractus intra duos annos Theobaldo emptio displiceret, ex tempore G. pater dicti H. venditoris, viginti sex libras, computatis fructibus in eis, solvere deberet. Tunc patres dubitarunt, & Pontificem consulentes, numis contractus pura & absolute venditio, an verò pignus censeri debeat. Respondet Papa, licet non clarè constet, qualisnam contrahentium intentio fuerit, atque spectatâ formâ contractus venditio non conditionalis, sed pura videatur, quæ propter conditionem pactionem redemptionis dissolvi potest, tamen ob duos, quæ in contractu expressa fuerunt, præsumptionem vehementer nasci contra emptorem, videlicet, quod fructus percepti debeant in solvenda pecunia

annua numerari, & quod ultra summam acceptam venditor sexaginta solidos solvere debeat, præsertim cum idem emptor aliàs quoque usuras exercere solitus sit.

## SUMMARIUM.

1. Verba contractus attendenda, si de intentione contrahentium dubitetur.
2. Venditio rei fieri potest, adjecto pacto revenditionis, in gratiam emptoris.
3. Fructus tamen interea percepti ad emptorem pertinent.
4. Usura tamen suspicionem præbet pactum redimendi juxta arbitrium emptoris, majore statuto pretio pro revenditione, quam pro prima venditione expositum fuerit.
5. Quæ suspicio nonnunquam augetur potest ex qualitate personæ, vel alijs circumstantijs.

Notandum primum. Si de intentione contrahentium, qualeni contractum instituire intenderint, controversia oriatur, videndum est, quidnam verbis expresserint, (v.g. quod emptionem, & venditionem celebrare velint) iisque standum, nisi ex adjunctis, seu adjectis conditionibus, aut patet appareat, vel præsumptio fieri possit, aliud ipsos intendisse, quia non quod scriptum, sed quod gestum est, inspicitur, ait Gl. hic v. obligatis, juxta tit. Cod. plus valere, quod agitur, quam quod simulatè conuincitur, & facit ad hoc propositum L. ex venditio 15. §. Papinianus. ff. locati.

Notandum secundum. Venditio rei fieri potest adjecto pacto revenditionis in gratiam emptoris, ita, ut si emptori placuerit, prior venditor redimere cogatur rem, quam vendidit L. quod si 31. §. si quid ita. ff. de adilitio edicto. Quemadmodum & in gratiam venditoris pactum adijci potest, ut si ipsi placuerit, rem venditam redimendi facultatem habeat. L. 2. cod. de pactis inter emptorem & h. His addit Glossa v. proximos annos. Pactum revendendi, si emptori pla-

cuerit, adijci posse, vel ad tempus determinatum v.g. intra duos annos, ut in casu hujus cap. vel indeterminatè, tunc sexaginta dies utiles emptori concedi, cit. §. si quid ita.

Notandum tertium. Si venditio rei fiat adjecto pacto redimendi, fructus interea percepti pertinent ad emptorem tanquam rei emptæ dominum. Ita sumitur ex isto 6. & cit. L. 2. tradit Gl. hic v. percepti & lib. 3. tra. 4. c. 16. n. 17. in fine docui. Requiritur tamen, ut venditio pura fuerit; si autem conditionata, videl. ut si fiat, vel non fiat, res inempta sit, tunc eveniente conditione fructus percepti venditoris sunt. L. si fundus 4. ff. de lege commissaria. L. necessario 8. ff. de periculo, & commodo rei vendita.

Notandum quartum. Contra rei naturam est, & idèd suspicionem usuræ præbet, si venditioni apponatur pactum redemptionis ad arbitrium emptoris, majore statuto pretio, quàm fuerat in prima venditione; propterea, quod gravamen hoc appositum venditori, ut paratus esse debeat redimere, si emptor velit, in partem pretij computari debet, & idèd sine causa, & non secundum naturam, atque justitiam contractus venditor gravatur, ut majore pretio redimere cogatur. Itaque suspicio est simulatæ emptionis, verè autem existentis mutui, in quoniam onus impositum sit, mutuuario rem aliquam pignoris loco obligandi, & tempore constituto, vel cum mutuanti placuerit, majore pretio redimendi, ac proinde aliquid ultra sortem dandi, quod est usurarium, prout explicavi cit. c. 16. n. 18.

Notandum quintum. Si aliæ conjecturæ adsint usuræ committæ, augetur suspicio, ac præsumptio ex qualitate personæ, quæ etiam aliàs solita fuit usuras exercere, & generatim loquendo ex consuetudine, sive ex eo, quod aliquis facere solitus est, generari præsumptionem colligitur ex L. vel universorum 12. juncta Gl. ff. de pignoratitia actione L. qui semisse: & quæ situm. ff. de usuris. L. nummis 75. ff. de legatis 3.

Nn:

CAPI-

## Ex litteris.

## PARAPHRASIS.

Maritus cujusdam mulieris, appellata A. mercatorem aliquem spoliaverat, & graviter vulneraverat, & aufugit, Justitarius Rei fratre R. & uxore delinquentis (quamvis minus justè) captâ, omnia bona ejusdem delinquentis distraxit, & mercatori læso pecunias solvit; quædam autem delinquentis possessiones penes dictum fratrem manserunt, eò quòd ex curiæ mandato eas retinuerit, atque inde solverit mercatori, quia propter possessionum minutias emptor alius non reperiebatur. Hinc controversia orta est inter mulierem, seu uxorem delinquentis & R. fratrem; ipsa enim instanter petebat ab eodem æstimationem dotis suæ restitui, aut in possessiones, quæ mariti fuerant, judicium delegatorum à Papa officio ipsam induci. Sed R. frater malefactoris contradicebat, se non obligari, cum non sua auctoritate, aut voluntate bona mariti distracta fuerint, sed auctoritate fisci, à quo jussus fuit, pro possessionibus fratris à se retentis pecunias solvere mercatori. His relatis Innoc. III. respondit judici delegato, si ipsi confiterit, dotem, quam asseverat, marito allatam esse, & fratrem malefactoris aliqua ejusdem mariti bona possidere, ut illum ad dictæ dotis, quatenus de bonis fratris possidet, restitutionem compellat, propterea quòd multus favor in jure pro recuperandis dotibus concessus sit, atque cautum, ut ob mariti maleficium uxor indotata non maneat. Denique mariti bona mulieri pro allata dote tacite obligata sint, eaque cum hoc onere ad quemvis possessorem transierint.

## SUMMARIUM.

1. Uxor pro delicto mariti conveniri non potest.

2. Res pignori obligata, si vendatur, transit quidem in dominium emptoris, cum onere tamen pignoris.
3. Limitatur hæc doctrina.
4. Creditor rem pignori obligatam a quovis ejus possessore vendicare potest, dum sit pignoris obligatio.
5. Quando uxor pro dote sua agere possit?
6. Tacitam habens hypothecam pro bonis suis in omnibus mariti bonis.

Notandum primum, Uxor pro marito delincente, vel ex alia causa obligato conveniri non potest, ut hic dicitur in tit. codicis, ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore, vel mater pro filia conveniatur. Quare ob debita mariti non potest fieri missio in bona uxoris: si tamen bona mariti possederit, uxori probatio incumbit ea non ad maritum, sed ad ipsam dicitur in tit. codicis, sed omnino, sub parva dupli, & ut creditor à jure suo cadat, prohibeantur, videlicet, ne qui ipsam pecuniam ejus, quod sibi Tertius debet, alium quolibet, v. g. affinem, vel populatam illi gravet, aut bona ejus pignori, seu arcto subiciat, cujusmodi pignorationes in litemperio valde odiosæ, & prohibite sunt, ut ut ostenso facto mandata, sine claudis, de relaxando concedantur.

Notandum secundum. Si res pignori aut hypothecæ nomine obligata vendatur, transit quidem dominium ad emptorem, sed cum onere, seu obligatione pignoris, ut hic & in L. si debitor 12. cod. de districtione pignorum. Idque verum est, tamen si iudicis jussu venditio, seu distractio facta sit, quia sententia, & factum iudicis prævalere tertio non debet. c. ex tenore 11. de iur. competente c. cum super 17. de re iudicata. & L. 2. §. si quis à principe ff. ne quæsi. loco publico. & docet Amola hic n. 2.

Limitari debet, nisi creditor consentiat, ut venditio fiat, tunc jus pignoris retinetur, censeatur L. sicut. 4. §. si voluntate ff. quæsi.

his modis pignus solvitur. dummodo alienatio secuta sit, sicuti Bartolus ibi docet. Idemque est, si creditor consenserit, ut pignus filiae in dotem daretur *L. Lucius 21. ff. eodem.* propterea si creditor consentiat, rem sibi pignori obligatam alteri obligari, jus pignoris amitti &c. *L. Paulus 12. ff. quibus modis pignus solvitur.* Verum non absolute & omnimode in hoc casu jus amississe censetur, sed ejus tantum respectu, cui postea rem obligari consensit, ut videl. ipsi postponendus sit juxta *Glossam in L. 3. cod. de remissione pignoris. Glossam marginalem in cit. L. Paulus v. remisisse.*

Notandum tertium. Tametsi rem pignori obligatam creditor à quovis ejus possessore vindicare possit, donec ipsi pro debito satis factum sit, & ita pignoris obligatio sublata, *L. si cum 66. ff. de evictionibus,* tamen possessor liberatur, si solvat id, quod creditori debetur *cit. L. Paulus. S. qui pignoris.* Quam ob rem agens pignoratitia actione potest libellum alternativè formare, vel in remissionem pignoris mittatur, vel debitum, & utriusque causa pignus constitutum fuit, possessor exolvat, uti ex hoc *c. apparet, & notavit Imola hic n. 3. Abb. n. 4.*

Notandum quartum. Si dos uxoris in periculo versetur, quia maritus ad inopiam vergit, vel bona sua dissipat, vel abiens est, ejusque bona iudicis auctoritate distrahantur, tunc uxor dotem suam exigere potest, & pro ejus recuperatione, actione hypothecaria agere etiam adhuc constante matrimonio *L. ubi 29. cod. de jure dotium,* ubi additur, quod pacta dotalia nihilominus integra maneat, & dos mulieri affectu alienari non possit, sed ad sustentationem ejus, & mariti, ac filiorum applicari. Quà de re dixi *lib. 3. tra. 4. c. 15. n. 7.*

Notandum quintum. Uxor pro securitate dotis habet tacitam, seu ipsa lege constitutam hypothecam, eamque valde privilegiatam in omnibus mariti bonis. Hac de re dixi *lib. 3. tra. 2. c. 11. assertione 5. de re dixi lib. 3. tra. 4. c. 13. n. 8. addit verò Gl. hic*

*v. maleficium,* quòd simili ratione bona omnia Prælati Ecclesiæ obligata sint pro mala administratione, sicuti & bona tutoris, ac curatoris pupillo, aut minori *L. si mater cod. in quibus causis pignus. L. ult. cod. de legitima tutela.* Ecclesia autem jure minoris gaudet, *c. 3. de in integrum restitutione.* Accedit, quòd Prælati veluti spirituale quoddam matrimonium cum Ecclesia sua contrahit, ab ea sustentationem, & honorem accipiens, ut merito ejus bona, sicuti mariti erga uxorem, obligata Ecclesiæ esse debeant.

## CAPITULUM VI.

## Cum contra.

## PARAPHRASIS.

Laurentius pecunias mutuas acceperat à quodam creditore, hypothecæ nomine obligatis quibusdam possessionibus: eo creditore mortuo hæredes ejusdem dictas possessiones pignoris nomine obligarunt G. civi Anagnino; contra hunc filius Laurentij coram Pontifice Innoc. III. actionem instituit, nomine R. atque ostendit, tum ab ipso G. tum à prioribus, qui hypothecæ nomine possessiones tenuerant, tantum perceptum esse, ut fructus sorti æquantur, idèbque dissoluto pignore possessiones sibi restitui petivit. Innocentius respondit, cum fructus percepti à creditore, in sortis solutionem computari debeant, secundum Canonicas sanctiones, in proposito autem casu tantos fructus creditor percepit, ut totum debitum, ipsamque pignoris obligationem dissolverint, idèd possessiones R. filio Laurentij, ad quem hoc Pontificis rescriptum destinatur, restituendas esse, ac proinde se mittere executorem, à quo in corporalem possessionem inducatur.

## SUMMARIUM.

1. Rem pignori obligatam potest creditor alteri etiam obligare, non tamen pro majore quantitate deberi.

N n 2

2. Fr

2. *Fructus pignoris ad debitorem pertinent, in sortem computandi, si a venditore percipiuntur.*

**N**otandum primum. Creditor, cui res pignori obligata est, potest eam alteri, sed non pro maiore quantitate debiti obligare *L. 1. & 2. si pignus pignori datum sit*. Verum dissoluto iure pignoris, quod in eo habebat primus creditor, quia solutio ipsi facta fuit (solutio enim debiti tollit pignoris obligationem) extinguitur jus pignoris in secundo creditore, quippe cum à priore creditore causam seu jus dependens habeat, *cit. L. 2. junctâ Glossâ & L. Lex 31. ff. de pignoribus*. Non posse autem ultra tres vices pignoris obligationem extendi dicunt Doctores cum Durando *in speculodib. 4. p. 3. tit. de pignoribus. n. 22.* & sequitur *Abb. hic n. 7.* ne alioquin in infinitum adeatur, à quo & natura abhorret, *argum. e. 2. de rescriptis in 6.*

2. Notandum secundum. Fructus ex pignore percepti pertinent ad debitorem, tanquam dominum pignoris, & ideo, si creditor eos percipiat, in sortem computare debet, ita, ut quantitatem debiti diminuatur, imò penitus dissolvant, si tantum perceptum fuit ex fructibus, quantum debitum ipsum, & expensæ factæ in rem pignoris nomine obligatam aestimantur. Ita *hic & in cit. c. 1. & 2. de usuris, & in L. 1. & seqq. ff. de pignoratitia actione*. Ex pignore percepti fructus (*dicitur in L. 1.*) computantur in debitum, & si sint sufficientes, solvitur actio, & reditur pignus. Additur verò *in L. 3.* non tantum eos fructus in rationem exonerandi debiti computandos esse, quos creditor percepit, sed etiam quos percipere potuisset, & per negligentiam intermisit, ubi in rubrica ex Baldo dicitur, fructus, qui debuerant percipi, extenuant sortem, sicuti percepti.

Præterea *in L. si creditor 7. Cod. eodem* habetur, quòd creditor damnum in decidendis arboribus, domibusque destruendis, ab ipso datum in rationem, seu compensationem debiti deducere debeat; & si dolo, vel

culpa rem pignori subditam deteriorem locerit, eo nomine pignoratitia actione tenetur, ut talem restituat, qualis fuerat tempore obligationis; sumptus tamen necessarios, quos circa rem oppigneratam fecit, expetere non prohibetur, *cit. L. si creditor. Vide quæ docui lib. 3. tra. 4. c. 30. n. 7.*

Notandum tertium. Licet pignoratitia actio personalis sit *secundum Gl. receptam in rubrica ff. de pignoratitia actione*, tamen in rem scriptam, ut saltem utilis pignoratitia actio debitori post debiti solutionem factam concedatur adversus alium pignoris detentorem, quocum primus debitor non contraxit, prout colligitur ex *l. 1. & tradit Imola hic n. 9. & Abb. n. 6. & sumitur ex L. 1. eod. si pignus pignori datum sit.*

## CAPITULUM VII.

## Significante.

## PARAPHRASIS.

Civis Pisanus R. à concive suo G. ducentis quinquaginta libris mutuo acceptis domum suam ei obligavit, hac appellatione & juratâ promissione, nisi intra tempus definitum solutâ pecuniâ domini pignoris obligatione liberaret, eam ulterius non repetere. Postea vero lapsus termini idem R. debitor peractum ac fidelem, uti videbatur, nuncius, pecunias numeratas creditori transmissit, eas verò nuncius infideliter accepit, non persolvit, sicuti ipsi mandatum transerat: & postea dictus R. ab Imperatore contentus fuit, uti ipsi G. satisfacere non posset, cum autem libertati restituta fuisset, pecunias reddere volebat, quod creditor recipere noluit, quia post tempus constitutum solutio offerebatur. Hæc cognitis rescribit Innoc. III. ad iudicandum cum pactum Legis commissoria in pignore reprobatum sit, atque dictus R. peramentum, quantum in ipso fuit, impleverit, quæ-

quando per certum, ac fidelem, qualis credebatur, nuncium pecuniam tempore statuto transmisit, postea verò in capione detentus, satisfacere non potuit, idèò mandare se iudicibus, si ita se res habeat, creditorem per censuram Ecclesiasticam compellant, ut forte contentus pensionibus ex pignore in eam computatis ædes oppignoratas sine dilatione suprâ dicto R. non obstante promissione ejus jurata, restituat.

## SUMMARIUM.

1. *Pactum Legis commissoriae, quomodo in pignore reprobetur?*
2. *Neque potest debitor, juri reprobandi pactum in pignore Legis commissoriae, renunciare.*

Notandum primum, Pactum legis commissoriae, id est, si pignus intra certum tempus solutione debiti liberatum non sit, ut ad creditorem pertineat, seu ut postea nunquam repeti possit, velut eidem in solutum aut in feudum datum, jure tum Cæsareo, tum Canonico reprobatur, ut hic apparet, & in rit. *cod. de pactis pignorum. & L. commissoriae*. Dixi de hoc lib. 3. tra 4. c. 30. n. 6. & ita quidem reprobatur est pactum illud, ut ipso jure irritum sit, nullaque ex eo obligatio nascatur, uti constat ex hoc cap. & L. 3. *cod. eodem L. pacta 6. cod. de pactis*.

Porro licet erga creditorem non possit adijci pactum Legis commissoriae, potest tamen adijci erga fidejussorem, ut si is pro debitore moram solvendi committente, solvere cogatur, res pignori datæ ipsi emptæ sint. *L. ult. ff. de contrahenda emptione*. Necessè tamen est, ut pretium, seu æstimationis rei interveniat, quandoquidem emptionem, & venditionem sine pretio consistere possibile non est. *S. si ut certum Inst. de emptione*. Id verò duobus modis fieri potest, primò, ut certum pretium mox ab initio designetur, v.g. si fidejussor solvere cogatur, ædes creditori oppignoratæ emptæ

sint fidejussori mille florenis, tamen pretium aliquantulum minus sit, quàm res valeat, tamen partim ratione pænæ conventionalis, partim ratione compensationis alicujus, tolerari id potest etiam secundum conscientiam forum, prout docet *Molina tra 2. disp. 324. in fine*, ubi id tamen addit, consulendum esse hominibus, ut à talibus pactis abstineant. Alter modus est, ut pactum ineat de pretio in futurum, per boni viri arbitrium statuendo, videlicet si fidejussor pro me solvere debitum cogatur, ædes oppignoratæ ipsi emptæ sint eo pretio, quod vir prudens æstimaverit. Tale verò pactum etiam cum creditore iniri nihil prohibet, quin imò *Abbas hic n. 7. Covar. lib. 3. resolutionum c. 2. n. 7. Molina n. 3.* ajunt, si absolute dictum sit, nisi intra certum tempus solutio debiti facta sit, pignus emptum esto, aut in solutum datum creditori, benignè interpretandum esse pactum istud, quòd justo tunc æstimando pretio pignus emptum esse debeat, vel datum insolutum. Secus autem dicendum, si ex verbis appositis, aliisve circumstantijs appareat, mentem contrahentium fuisse, ut pro ipso debito emptum esse debeat pignus, seu in ejus dissolutionem datum, & acquisitum creditori. Sed neque valebit pactum, si ab initio statuatur pretium, quo res in pignus data vendita esse debeat creditori, nisi debitum intra certum tempus ipsi solutum sit, licet, ut suprâ dictum, alia ratio sit de fidejussore. Ratio autem, cur cum creditore talia legis commissoriae inita pacta reprobentur, ea est, quia homines pecuniarum indigentes fiduciâ consequendi mutui in quamcunque etiam iniquam, & sibi valde noxiam pignoris venditionem, aut dimissionem consentire solent: in Canonico autem, & conscientiam foro esset hæc latè patens occasio usuræ palliatæ, si mutuatori, seu creditori in compensationem mutui dati, aut ob solutionis dilationem res pignori data, minore, quàm valeat, pretio addicere liceat.

## Cùm constet.

## PARAPHRASIS.

Titius testamentum condidit, in quo bonorum suorum proprietatem reliquit Mariae. At verò eorundem usum fructuum matri suae, J. mortuo testatore, Mariae proprietaria petiit à dicta J. ut cautionem idoneam praestaret, quòd rebus immobilibus, quae in hereditate inventae fuerunt, salvà earum substantiâ uti & frui vellet, secundùm boni viri arbitrium pecunias verò, & eorum bonorum, quae usu absumuntur, aestimationem à morte sua ipsi Mariae, & heredes eius restituere. Hoc approbans Gregorius IX, ad eam cautionem praestandam, mulierem cogi mandat.

## SUMMARIUM.

1. Potest testamento alteri proprietatem rei ususfructus rei illius relinqui.
2. Non potest taliter institui ususfructuarius ususfructum in alium transferre, sine consensu domini directi.
3. Potest ususfructus in proprio dicti constitutus in rebus mobilibus, quae usu absumuntur, aut minuantur, auferantur.
4. Cautio sufficiens si praestari non possit ab usufructuario, quid agendum?
5. Quando remitti possit à testatore cautionis praestanda obligatio?

Notandum primum. Potest aliquis testamentum condere, in quo bona sua secundùm proprietatem relinquat uni, & ususfructum verò eorum relinquat alteri. Definitur enim ususfructus L. i. ff. de usufructu. Jus utendi, & fruidi salvâ substantiâ. Ex quo colligitur primò, quod fructus tam naturales, quam civiles, videlicet ædium pensiones ad usufructum dominij jure pertinere, sed non prius, quàm ab ipso percepti sint S. is vero. l. ff. de rerum divisione, ubi Gl. explicat V. per. 1.

2. Dubium est, num debitor juri huic reprobandi Legem commissoriam renunciare possit, praesertim cum juramento. Resp. negativè cum Antonio & Imola hic n. 10. Abbat. n. 4. tamen enim debitor renunciare possit juri principaliter constituto in favorem suum, non tamen potest, si constitutum sit in odium creditorum publicae utilitatis causâ, ne fraudibus & injustitijs occasio praebetur. L. tamen si ijuncta Gl. ff. ad S. C. Macedonianum. c. si diligenti 12. de foro competente.

Nec obstat, quòd Pontifex in hoc cap. rationem aliquam editi juramenti habuerit, quia juramentum istud debitoris, si intra tempus statutum non solverit, nullam molestiam super pignore exhibiturum se, obligabat cum ex virtute religionis tantùm, eò quòd sine pacto ex parte ipsius observari posset, non tamen per id, pactum Legis commissoriae confirmatum fuit, ita ut jus aliquod creditori ad servandum pignus acquireretur, secundùm Bartol. in L. si quis pro eo n. 10. ff. de fidejussoribus. Abb. hic n. 4. & docui lib. 4. tra. 3. c. 8. n. 4. exemplo quinto, quamobrem si juramentum à superiore relaxatum sit, ipsemet jurans post factam solutionem debiti rem oppignoratam repetere potest: Haeres autem debitoris, etiam non relaxato juramento, pignus revocare poterit, propterea quòd juramenti obligatio personalis sit, & ad haeres non transeat, prout ex communi tradit Abbas in c. veritatis 3. de jurejurando. Gaill. lib. 1. observatione 27.

Notandum. Si res debita per fidelem, uti existimabatur, nuncium transmissa ab ipso non tradatur, debitor excusatus est à culpa, seu mora culpabili. Ita colligitur ex hoc cap. ubi etiam aliud legitimum solutionis impedimentum afferatur, si debitor in capitivitate detentus sit.

\* \*

\* \*

cepti, id est in horreum delati, vel à spiciis exculli. At verò si fructibus licet maruris, non tamen perceptis decesserit usufructuarius, ad heredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur *cit. §. si verò. & l. si fur. aliàs incipit. arboribus 12. §. Julianus. ff. de usufructu.* ubi dicitur, si alius sine mandato usufructuarij fructus defecerit, & auferat eorum dominium, non acquiri usufructuario, nihilominus furti actionem ipsi concedi, quoniam interfuit ejus, fructus non esse ablatos. Hinc etiam inferitur, quod *Gl. hic monet V. fruatur. Abb. n. 5.* quod beneficiarij, maxime Prælati, usufructij potiùs, quam fructuarij censendi sunt, quia de fructibus ex Ecclesiâ, vel beneficij possessionibus perceptis, disponere non possunt, tanquam domini absoluti, sicut dicam infra *hoc libro tit. de peculio Clericorù & tit. de testamētis.*

Secundò inferitur, quòd dominium directum, seu proprietatis magis propriè & absolute loquendo dominium dicitur, usufructuarius autem non propriè dominus rei appellatur. Quare sine consensu domini nec vendere, nec donare, nec alio modo usufructum in aliam personam transferre potest, imò per talem translationem ipso jure amittitur usufructus, & proprietario acquiritur *L. si usufructus 66. ff. de jure dotum. §. item finitur. Institutis de usufructu.* Potest tamen fructuarius commoditatem, seu facultatem fructus loco sui percipiendi, alteri vendere, locare, aut donare, etiam inscio, aut invito domino, sed non ultra vitam ejusdem fructuarij. Nam in hoc casu ipsum jus radicale utendi, fruendi, sive usufructus manet in usufructuario vendente, aut locante, quippe cum usufructus jus personale sit, & in alterum non transmissibile, interim verò, dum locatio, aut concessio durat, usufructus in concedente, quoad exercitium, sive actum utendi, ac fruendi impeditum manet. Sicuti expl. cat *Molina tra. 2. disp. 7. n. n. 19.* & bene admonet *n. 20.* idem esse sentiendum de beneficiario, qui

jus habet decimas percipiendi nomine proprio, neque illud in laicum transferre potest *c. quamvis 17. c. prohibemus 19. de decimis.* Verùm tamen vendere, aut locare decimas Laico non prohibetur. Hoc modo, ut eas Laicus percipiat nomine non suo, sed beneficiarij *c. 2. de locato.*

Notandum secundum. Licet usufructus propriè loquendo in ijs tantùm rebus esse possit, quæ usu non absumuntur, tum immobilibus, uti sunt ager, vinea, domus, tum mobilibus, uti sunt pecora, prout colligitur ex definitione usufructus, cum dicitur *salvâ ejus substantiâ*, impropriè tamen etiam rerum mobilium, quæ usu absumuntur, usufructum per legatum, vel stipulationem constitui posse constat *ex hoc c. & tit. ff. de usufructu earum rerum, quæ usu consumuntur, vel minuuntur, videlicet in pecunia, frumento, vino, & similibus.*

Est autem discrimen inter usufructum propriè dictum, & impropriè, seu quasi usufructum, quem dixi esse rerum usu absumptibilem, quòd res usu absumptibiles tradantur fructuario æstimatæ, ita ut dominium earum acquirat, præstita cautione, quòd finito usufructu, post mortem suam tantundem restituetur, sed aliarum rerum, in quibus propriè usufructus est, dominium non acquirat fructuarius, sed tantùm jus utendi, ac fruendi, quamobrem cautionem præstare seu satisfacere debet, quòd rebus illis uti, frui velit, boni viri arbitratu, id est, sicuti vir bonus, & prudens res proprias administrat. Ita sumitur *ex hoc cap. & l. hoc senatusconsultum 5. ff. de usufructu earum rerum & c. junctâ l. 1. ff. usufructuarius quemadmodum caveat.*

Coroll. Si quid earum rerum, quæ usu non absumuntur, casu pereat, vel deterius reddatur, proprietarij id damno accidit; sin autem fructuarius rebus abutatur, & ita damnum inferat, in omni foro relarcire tenetur *L. si cuius 13. §. sed si inter, aliàs incipit L. æquissimus ff. de usufructu.* Legietiam possunt *L. vetus 68. §. vetus & Leges*  
dua

*dua sequentes. ff. de usufructu.* Ex quibus habetur, quod fœtus, & partus pecorum fructuarij sint, quia partus pecorū interfructus numeratur, si tamen integri gregis usus fructus legatus, aut concessus sit, in demortuorum capitum loco ex fœtibus alios substituire debet, ita, ut numerus integer gregis conservetur, atque ita per solam substitutionem efficiet fructuarius, ut fœtus ex suo ad proprietarij dominium transeat, sicuti *Gl. marginalis* ibi notat.

Quid lentiendum de rebus, quæ usu non consumuntur, sed minuuntur, & atteruntur, cujusmodi sunt vestes, & aliæ res similes. Responderetur, res istas, quæ usu minuuntur, æquiparari ijs rebus, quæ usu statim consumuntur, seu quarum usus est ipsa absumptio. Ita constat *ex tit. ff. de usufructu rerum, quæ usu consumuntur, aut minuuntur.* & *L. 1. cod. eodem & S. constituitur. Inst. de usufructu.* ubi de utroque genere rerum dicitur, licet in ijs usufructus propriè locum non habeat, tamen utilitatis causâ constitutum fuisse, ut earum quoque rerum quasi usus fructus esse possit, ita ut fructuarij fiant, is verò satisfacere debeat, seu cautionem idoneam dare, si morte naturali, vel civili decedat, quod pecuniam, quam accepit, in eadem quantitate, pro alijs verò rebus pretium restituendum sit, quanti eæ æstimatæ fuerant.

4. Quæritur primò. Si is, cui usufructus à testatore relictus est, idoneam cautionem per fidei iussores, aut pignora præstare non possit, num admittenda sit cautio juratoria, hæc enim ordinariè admittitur, si cautio sufficiens, seu idonea præstari nequeat, pro-

ut colligitur *ex authent. generaliter cod. de SS. Ecclesijs* & tradit *Gl. in L. 1. ff. de satisfadare coguntur.* Ad hanc cautionem ferme communiter respondetur *cum Barto in L. usufructu 4. n. 6. cod. de usufructu.* distinguente: vel persona usufructuarii suspecta est, tunc sequestratio fieri debet, vel virum bonum, qui fructus præstabit, vel ætuario; vel non est persona suspecta, sed inops sit, tunc acceptabitur cautio juratoria *argum. tit. authentica, & dicitur Gl. offe.*

Quæritur secundò. Num testator fructuario remittere possit, quod minus cautionem præstet, tamen ad eam præstendam idoneus sit. Respondet bene *Gl. hoc est cautioem.* eam cautionem, quæ est de rebus non absumptilibus, utendo, fruendo boni viri arbitratu, remitti à testatore non posse, uti habetur *in L. 1. cod. de usufructu.* Ratio est, quia remissio hæc inducit ad delinquendum, & hæredi, seu propinquo damna injusta inferenda *argum. L. abbas ff. de pactis dotalibus.* Hæres tamen fructuarij sequendo satisfactionem cautionem ultrò remittere, vel ejus loco simplicem cautionem acceptare potest, seu dicitur *in cit. L. 1. v. cautioem. argum. L. quilibet nis 15. S. ult. ff. ad Legem Falcidiam prædictam L. potest 71. ff. eodem.* Ratio dari debet, quia quilibet favori suo renuntiare potest, atque volenti injuriam fieri, possibile non est. At verò alteram cautionem de restituenda eadem quantitate, seu æstimatione rerum, quæ usu consumuntur, vel minuuntur, à testatore remitti posse ex munitione tradit *Abb. hic n. 4.*

